

usitatus . sicut ex sigillis & numis id apparet satis. Splendidum enim majestatis imperialis insigne erat, tempore jam Henrici I. cui Conradus per fratrem Everhardum lanceam sacram, armillas aureas, cum *clamyde* & veterum gladio Regum, ac reliqua regalia misit indumenta. (oo) Dextra gladium tenet Fridericus noster summi imperii & majestatis symbolum; Promiscue alias gladium aut Sceptrum dextræ Regum tribuunt antiquæ picturæ, quod nunc superne flore ornatur liliato (pp) nunc baculus est uno vel altero distinctus nodo. Quamvis Sceptrum a baculo regio sollicite discernat Mabillonius, in cerimonia quippe coronationis regis, non modo sceptrum regi porrigi, sed & baculum. (qq) In bulla aurea pro Canonicis Ultrajectinis (rr) virgam, Fridericus cruce insignitam, dextra tenet, quod crucem Christi significare credo sacrum sacri Imperii insigne; quod enim *crux ubi est lignum Domini, & lancea ubi clavus ejus existit, ante Imperatorem in processionibus solennibus deportentur* Gregorius IX. memorat, Epistola ad Fridericum II. quæ quinque Imperii insignia, mystice sed contorte nimum interpretatur. (ss) Otto IV. (tt) Imp. virgam pariter duplici ornatam cruce manu gerit, quod & alius solenne est regibus extra Germanos.

¶ Verum: *Crux datur Imperio speciali jure ferenda*

(uu) *Quippe vicem Christi tenet hic ad regna tuenda  
Et gerit in terris signa colenda crucis.*

Ex stipite crucis ad supremam trabem teretes cunei ramorum instar prominent, quasi scala sit, quo forte respexit Gotfridus (xx)

*Crux est scala DEI, spes, via, vita reis,  
Gac datur ascensus. &c.*



In

(oo) Vitikind. Corb. Ann. l. 1. p. 636. Luitpr. l. 2. c. 7. (pp) Tale habet Lotharius III in Sigillo ap. Meib. l. 3 Rer. Germ. p. 158. Ludovici pariter VI. VII. IIX. Reges Gallica apud Mabill. l. c. p. 430. & Carolus Calvus in egregie effigie, de qua infra. (qq) l. c. l. 2. c. c. 17. ex libro sacrorum Menardi. ex Annalibus Bertin. apud Chesneum tom. 3. p. 244. a. (rr) l. c. p. 220. (ss) vid. supra (bb) (tt) Meibmonius l. c. (uu) Gotfridus Viterb. part. XIX Chron. p. 531. (xx) l. c.